

EUGENII DE ROSA  
DE LITTERIS LATINIS  
COMMENTARII  
AD CRITICAM ARTIS RATIONEM EXACTI  
*LOCIS QUIBUSDAM RETRACTATIS*  
*ET LOCUPLETATIS*  
*ITERUM IMPRIMUNTUR*



PANORMI  
APUD ACADEMICAM OFFICINAM TYPOGRAPHICAM  
SERVORUM PAUPERUM  
ANNO MDCCCCXLVIII

*In omaggio ad Hebreo Sclaven  
dai figli S. Diz  
4. 5. 1949*

EUGENII DE ROSA

# DE LITTERIS LATINIS

## COMMENTARI

AD CRITICAM ARTIS RATIONEM EXACTI

*LOCIS QUIBUSDAM RETRACTATIS*

*ET LOCUPLETATIS*

*ITERUM IMPRIMUNTUR*



*PANORMI*

APUD ACADEMICAM OFFICINAM TYPOGRAPHICAM

SERVORUM PAUPERUM

ANNO MDCCCCXLVIII

**LIBRI LEGUM TUTELAE SUBIECTI SUNT**

EUGENIUS DE ROSA

HENRICO COCCHIAE MAGISTRO SUO OPTIMO

S. P. D.

Periucunde mihi contigit, Senator amplissime, ut, cum infinito prope temporis intervallo tuae in me singularis benevolentiae penitus oblitus crederer, litterarum Latinarum commentariolos, quos in suburbana provincia Sicilia plane relegatus inque meis Drepanitanis otiis, ad animum a dolore quodam acerbissimo et molestis curis levandum, subsicivis horis et vigiliis conscripsi, tibi, doctissimo viro et magistro mihi gratissimo, in observantiae officiique significationem, ex studiorum meorum umbraculis mitterem et commendatos mandarem. Cogitanti enim mihi saepenumero, cui libellos, quos confeceram, sine timore et cum delectatione primo legendos traderem, cuiusque opera et consilio meam tandem vincerem naturam et quasi pudorem, quo vehementissime distinebar, ne in aliquam scholarum utilitatem evulgarem, tu dignissimus occurrebas unus, qui, et propter auctoritatem tuam in ceteris rebus summam, et propter singularem litterarum Latinarum amorem, perpetua omnium scriptorum lectione in dies auctum, a certo sensu et vero diligens et peracutum de iis iudicium ferres et pro tua humanitate, quam saepe antea perspexeram, ad typis eos edendos mihi fortasse animum adderes. En itaque auditoris tui et discipuli manusculum, quod etsi scirem, cum id tibi addicerem, quam esset parvum, sperabam tamen, si quid in te nimio silentio

peccavi, ipsa grata beneficiorum memoria et significatione veniam a te mihi esse certo impetraturum, et tibi etiam, quo in me semper animo fuisti, aliquid gaudii adlaturum, quod me novisses, ex tuis optimis et pro re et pro tempore datis consiliis, in humanis, quas vocant, litteris, solacium quoddam a dolore et tutissimum quasi portum invenisse.

In hanc vero voluntatem ut foras darem, quae tantum doloris levandi causa composueram, haud facile me induxi, nec forsitan umquam induxissem, nisi pro certo mihi esset compertum, talem hodie desiderari librum, qui, cum tot in dies proveniant vernaculo sermone conscripti, obsoletam maiorum nostrorum consuetudinem instauraret, ex qua Latinae res Latino tantum sermone pertractarentur. Incredibile enim est, quantum ad humanitatis studia augenda consuetudo illa conduixerit, siquidem, adhibita in rebus explicandis Latina usque lingua, eam discipuli sine taedio et labore verborum copiam et loquendi facultatem comparabant, qua, sensim sine sensu, tamquam adminicculo maxime necessario instructi, scriptorem quemque vel maximosque poetas, facile non modo cursimque perlegerent, sed in iis etiam peracute et cum sensu viderent. Quod cum mecum ipse recolo, subeunt in mentem mihi, singulari quadam animi admiratione, doctissimi et clarissimi viri illi, qui statim post renatas Latinas litteras et deinceps beatissimo et felicissimo Leonis Maximi saeculo floruerunt, Laurentius Valla, Franciscus Philephus, Ambrosius Camaldulensis, Poggius, Politianus, Pontanus, Actius Sincerus, Petrus Bembus, Lilius Gyraldus, Hieronymus Vidas, Fracastorius, alii innumerables, qui, cum ad hanc bene loquendi Latine scribendique laudem incredibili studio incubuissent, sermone puro vereque Romano uti assueverant, ut in aureo eorum orationis nitore et Tullius et Maro deprehendantur. In coetibus autem et conventibus, quos frequentissime inter se habebant, magnificas ex tempore de qualibet re orationes Latine pronuntiabant et finitos etiam

versus ex improviso factitabant, ut, si quis audivisset, Romanos eos, illo tempore natos, facile credidisset.

Quid vero nunc? cur accidere nunc saepissime solet, ut et eos quidem adulescentes, qui non sine aliqua laude, pro studiorum ratione, quae nunc est, secundum tenuerint studiorum cursum, statim atque a scholarum parietibus discesserint, non infideles modo in veteres amicos, hoc est in Latinos scriptores, sed ab iis refugientes et tamquam a malefica peste abhorrentes videamus? Adulescentes videlicet etiam istos, quia in auctoribus illis legendis interpretandisque perenni et gravi lexicorum auxilio satis incommodè versati sunt usque, tanta, post peractum curriculum, vel dulcissimorum poetarum satietas tenere solet et molestia; tum profecto cum maximum ex illis fructum et voluptatem suavissimam capere possint, ut nihil sibi potius habere videantur, quam ut Romanorum libros respuant a seque procul abiciant et tandem se immanni veluti Atlantis pondere gravatos libarent. Atque etiam qui in nostras litteras se conferunt, neque quantum profutura sit Latinorum lectio perpendunt, neque quanto iis, qui immortales sermone nostro libros ediderint, et auxilio et adiumento fuerit recordantur. Qui enim Italicus scriptor, vel qua aetate, ab originibus ad nos, vel quo litterarum genere aut summa aut aliqua laude viguit, quin in exemplaribus Romanorum pervolutandis assidue versatus sit? Dantem Aligherium praetermitto, poetarum omnium, qui quidem a primis hominum saeculis ad memoriam nostram extiterint, et singularem et quasi divinum, qui propterea quod Aeneida diligenter perlegerit, Virgilium, auctorem suum et magistrum appellat. Franciscum Petrarcham etiam prætergredior, qui ex Latinorum poetarum, oratorum, rerum scriptorum lectione — primus nam eorum libros, quos potuit, e bibliothecarum latibulis in lucem eductos indagavit — cum perpolitissimam illam hausit carminum fundendorum artem, quae in eius amatoriis versibus reperitur, tum etiam materiam

poematis illius deprompsit, propter quod ab aequalibus corona aurea donatus est. Atque etiam Ludovicum Ariostum missum facio, qui cum in mirifico poemate contexendo, quod «*Orlandus Furens*» inscribitur, fabulas a Latinis et deverticula mutuatus esset, eadem illud sermonis elegantia et concinnitate composuit, quam ab illis, tum eorum carmina legens, tum eos antea, cum Latine versus conderet, imitatus, in primis didicerat. Auctores ceteros et claros, qui patrum nostrorum aetate et memoria nostra fuerunt, omitto, qui ad perfectionis suae fastigium omni ex parte cumulatum ea de causa pervenisse videntur, quia nihil quod ad penitus cognoscendas Romanorum litteras et artes pertineret, non exploratum et cognitum haberent. Verum tamen silentio praeterire non possum poetam nostrum novissimum, qui tantum inter aequales humanis studiis praestitit, ut non semel aut iterum sed ter decies in poeticis certaminibus, quae quotannis ab Academia Regia Disciplinarum Nederlandica indicuntur, et praemium aureum et magnam laudem reportaverit. Iohannem Pascolium nomino, cuius mortem eo vehementius animo doleo, non quod ipse maturior suo fato concesserit, cum iam pro suo ingenio bene beateque vivere posset, sed quod Italia, Musarum domus, alienissimo Latinis litteris tempore, quo maxime omni fere divini carminis pabulo indigerent cives, tanto litterarum ornamento atque praesidio privata est et penitus orbata. Renovaverat nimirum Pascolius maiorum nostrorum decus et nomen, Augusti tamquam e saeculo in aetatem hanc demigratus poeta, qui gravia hominum quaeque et tristia et acerbitatis plena in se unus omnia quasi perferret et communi omnium eorum doloris sensu concineret. In Romanorum quoque scriptorum lectione Iosue Carduccius assidue versabatur, qui, me puero, floruit et quasi in litteris nostris regnare visus est; Latinorum enim vestigia et ipse ab adulescentia ingressus, ex Horatii prae-assertim, ex Catulli Virgiliique carminibus, non sermonis modo

venustatem et versuum ex brevitate pedum et proceritate condendorum didicit artem, ad quam interdum in carminibus sermone nostro fundendis se conformavit, sed ex perenni eorum meditatione atque commentatione, ardorem animi, quem a natura acceperat, adeo elatiorem et paratiorem in gentis nostrae laudes celebrandas effecit, ut carmina, quae in patriam a servitute vindicatam ad pristinam dignitatem promovendam composuit, antiquitatis formam quandam et speciem impressam referrent, redolerentque vernaculo sermone populi Romani maiestatem.


Quid igitur tam multa de poetarum nostrorum in Latinos amore et studio? Etenim cum tam multi viri doctissimi sint, et tu, in illis praecipuus, qui in hanc sententiam convenient, litteris videlicet nostris valde semper profuisse Romanorum scriptorum lectionem, vereor ne in hac causa defendenda — quanta autem auctoritate fecerim nescio — vel satius necessario perorasse, vel potius, quod has litteras et librum ad te miseram, hominem illum stultum imitatus esse videar qui vasa sua Samum inepte ferret. Memini enim id quod rescribo, mihi saepissime a te esse repetitum atque etiam primum ad litteras Latinas aditum summa diligentia esse patefactum, qua utinam et ego in auditorum meorum utilitatem utar. Utinam quomodo ab specie difficultatis illa, quam prae se fert Romanorum sermo, facile tu me eripuisti, ita et ego auditores meos liberem! utinam eos cum maiorum litteris in gratiam reconciliem! Quocirca est mihi, ex hac etiam parte, cur maximas, quoad vivam, tibi gratias habeam. Quotiescumque enim praeteriti temporis memoriam repeto — quod quidem aetate iam inclinante et fere ingravescente saepissime mihi contingit — felicissima adulescentiae tempora subeunt mihi, cum tu, summa industria summaque cura litterarum disciplinam omnem et rationem in ista Neapolitana Academia tradebas et nobis audientibus, modo in rerum scriptoribus quid veri, quid vel falsi vel incerti inesset, per-


diligenter inquirebas, modo carmina lyricorum poetarum, fabulas tragicas comicasque, philosophorum doctrinas, oratorum contentiones, tanta arte et sententiarum copia explanabas et fecundissime illustrabas, ut uberrimos cum condiscipulis ex notationibus tuis sapientiae fructus ceperim. Qui et quot inde rerum eventus! Qui varius et longus annorum decursus! Ut primum potero te Neapolim salutatum veniam. Accipe interea librum, qui certiorem te profecto faciet, si id quidem erit opus, me tui usquequaque memorem esse et semper fuisse. Vale, Senator optime et dulcissime Magister, eodemque in posterum ac prius arctissimo observantiae vinculo et grati animi sensu me tecum tene fore coniunctum.

*Scripti Drepani a. d. XI Calendas Maias anni p. Chr. n. MDCCCCXXVII*

A libris hisce denuo imprimendis, quamvis viri docti nonnulli cum nostrates tum etiam peregrini, qui Romanorum cultui et humanitati asservandis operam navant, me sollicitarent, difficultates quaedam vel animus ipse meus ad hanc diem prohibuit. Noveram ab emptoribus et bibliopolis libellos desiderari; at potestate praetoria, quae apud nos fasces dicta est, magis magisque in animos civium universorum urgente — en dolorem atrocissimum et curam molestam, quibus angebar — misellos nolui e liberioribus animi sensibus ortos notis et iudiciis censoriis subicere, si iterum in lucem edere constituisse. Post atrocissimum bellum, quod per terrarum orbem discurrens alteros in alteros populos inflamavit, ex quo nos eheu! victi discessimus, libertatem in rebus saltem nostris, rempublicam imminutam, nos ipsos etsi ad inopiam actos aliquomodo recuperavimus. Est igitur, numeriis difficultatibus superatis, cur libros tandem ad superiorum scholarum usum atque commoditatem evulgem.

*Drepani Id. Oct. anni MDCCCCXLVII. E. D. R.*





LIBER PRIMUS DE LITTERARUM LATINARUM  
INFANTIA AB URBE CONDITA AD DXIV ANNUM QUO  
ANDRONICUS ROMAE PRIMAM FABULAM DOCUIT

LITTERARUM LATINARUM TEMPORA

I. In ipso operis prooemio liceat mihi, pro ratione rei pertractandae, quam Graeci methodum vocant, litterarum varia Latinarum tempora notare, quae in singulis ex ordine libris prœsecuturus sum, ut statim ab initio aetates omnes et partes Romanaeque simul linguae gradus uno tamquam in conspectu inspiciantur. Nam cum varium nobis et longum iter mille ducentorum amplius annorum faciendum sit, utile et opportunum equidem censeo lapides quosdam militari ut in via collocare, qui non secus ac in itinerariis pictis, quibus viatores utebantur, spatia temporum certis dividant numeris atque loca quasi indicent, quibus paulisper inter eundum consistere datum sit in studiorumque quasi deversoriis commorari, quoad vires ex fatigazione reficiantur. Ex maiorum ita nostrorum consuetudine, totam litterarum Latinarum aetatem ad hominum vitam dimetiar et describam eamque in infantiam, adulescentiam, maturitatem, senectutem, senium distribuam. Perveterem item ex rhetorum usu litterarum in genera partitionem servabo, quae, quamvis hodie a multis litteratissimis hominibus tamquam obsoleta et mente ficta exprobetur, ad ordinem et perspicuitatem, etiamsi tanta sit scripturarum varietas et forma, quam maxime confert et conductit. Ceterum mihi numquam persuaderi potuit, cur genera haec repudiari debeant. Non enim ea, ex legibus quibusdam et praestitutis quasi antea formis, derivata esse contendimus, ad quas poetae suis in operibus condendis se conformaverint; sed genera ex similitudinibus et notis, quas inter se communes habent opera, pro uniuscuiusque auctoris

ingenio et arbitrio iam antea scripta, deducimus. Eadem scilicet in hac re rationem sequimur, quæ in rebus naturalibus perscrutandis et in genera sua collocandis utuntur rerum naturae inquisitores, qui in rebus alia omnibus communia, alia propria singulis deprehendunt, ut formam, structuram, descriptionem, colorem, usum, ut partium conformatiōnēm, ceteras huiusmodi notas; quibus inspectis, res cunctas, quæ in natura sunt, tum homines et bruta, tum arbores et stirpes, tum inanima et metalla, in genera distribuunt et in species partiuntur. De litterarum generibus igitur et partibus ita loquar, ut definitis temporum ordinibus, poeticis, epico, lyrico, scaenico, minoribus, quæ dicuntur, primum tribuam locum, ceteris vero, historiis, orationibus, sapientiae libris, in quibus sermo solitus adhibetur, secundum assignem.

II. Prima litterarum Latinarum infantia ad vetustiora illa saecula pertinet, quæ a populi Latini incunabulis ad annum post Urbem conditam DXIV sunt, vel — ut Christiana utar etiam annorum numerandorum ratione — ad CCXL a. Chr. n. annum; quo anno Livius Andronicus primam Romæ fabulam docuit. Hoc satis longo temporis intervallo rudes et inconditae fuere res omnes; etenim, cum priscos Romanos extruendae Urbis atque agrorum calendorum cura primum regibus dominantibus, deinde multos annos sub consulibus civiles de iure aequando contentiones et bella cum finitimis gerenda domi militiaeque occupatos tenuissent, haud satis temporis iis reliquum fuit, quod in bonis litteris colendisque artibus ponerent. In armis ergo et comitiis, in conserendis agris, in nuptiis et funeribus celebrandis, longiore, quam quæ hominum est, Latinae litterae infantiam et pueritiam suam exercuerunt. Eius vero aevi monumenta, si quæ litteris mandata fuerunt, partim combusta a Gallis periere, partim vetustate ipsa absumpta sunt, praeter illa, quæ lapidibus inscripta in lucem e terris provenerunt et praeter pauca duodecim tabularum fragmenta hinc illinc ex recentiorum scriptorum notationibus in unum collecta.

*adulescentia*

Virili quasi toga a Livio Andronico sumpta, mira quadam pernicitate, gradus primos ad artem et perfectionem fere in generibus aliis Romani fecere, in aliis vero veluti prima semina condiderunt, ex quibus postea uberrimi provenerunt fructus. Novus quidem et valde laudandus hic Latinarum litterarum ortus! Etenim, cum populus Romanus longe latetque per terrarum orbem arma in gentes omnes inferre coepisset acerrimeque cum Carthaginiensibus de rerum omnium imperio ad interacionem decertavisset, tantam litterarum copiam protulit, quantam nulla umquam gens, quae in armis assidue versaretur. In hanc enim litterarum adolescentiam, quae a Livio Adronico centum quinquaginta duo annos ad annum DCLXVI conditae Urbis, vel ad LXXXVIII a. Chr. n. patet — quo anno in fori lucem Cicero procurrit — praeter Andronicum, Naevius, Ennius, Plautus, Terentius, Lucilius, Cato, Cethegus, alii multi inciderunt, quorum opera balbutientes ad id temporis litterae ad usque fere maturitatem adolevere.

III. Absolutam tamen et undique expletam Latinae linguae elegantiam, copiam, gravitatem virilis aetas profudit, quae Ciceronis et Augusti memoriam complectitur. Pertinet *maturitas* enim ab anno Urbis conditae DCLXVI ad annum p. Chr. n. XIV. Hoc itaque centum amplius annorum intervallo, postquam Romani orbem terrarum fere omnem subiecerunt, perinde ac si cum Graecis de litterarum quoque laude contendere vellent, vel quid in litteris, quid in artibus, quid in ceteris disciplinis possent, in se experirentur, tanta industria et diligentia in generibus omnibus versati sunt, ut ingenii sui monumenta non ad eam solum aetatem, sed ad omnem posteritatem illustrandam ediderint. Testes sunt et Cicero, et Caesar, et Sallustius, et Livius, et Varro, qui orationem solutam in suis libris adhibuerunt; testes Lucretius quoque atque Catullus sunt, Virgilius Horatiusque, praeterea Tibullus, Propertius, Ovidius, ceteri minores, qui tam multa

et pulcherrima carmina fuderunt. In duas partes haec aetas dividi solet, quarum alteram Ciceronianam appellamus, alteram autem Augusteam. Illa civilibus contentionibus insignis, quas cives in partes divisi, alii pro libertate Romana, alii in eandem pugnantes, fecerunt; in altera autem, simultatibus omnibus superioris temporis remissis, pacis artes, novi cuiusdam aevi lumine, pacatam Urbem gentesque subactas mirabiliter illustrarunt.

IV. Virilem aetatem maturior quaedam litterarum ceterarumque rerum prima senectus exceptit. Centum enim annis, qui inter Augusti obitum et Traiani mortem intercedunt — hic autem obiit anno p. Chr. n. CXVII — cum bellorum cum gentibus causae et quasi materia deficere coepissent, ea morum, institutorum, reipublicae immutatio facta est, ut festinanter Romanae litterae conseruerent et ad senium quasi properarent. Iam enim, Tiberio imperante, propter effusam saeculi licentiam, Romani scriptores, veteris obliti libertatis, animum cum ceteris civibus dimiserant atque, furtunis suis prospicientes, in celebrandas principum laudes tutius sese converterant. Hanc praesertim ob causam factum est, ut Latinae linguae maiestas in adulotoriam et paene servilem formam degeneraret viresque et nervos amitteret. Probabiliores etiam huius aetatis scriptores litterata quadam senectute laborant in eorumque scripturis effracti animi et quasi vitae taedium spirat. Seneca, Lucanus, Quintilianus, etiam cum in sapientium et eruditorum umbraculis, vel oratorie vel poetice declamitant, languorem quandam et remissionem sapiunt. Meliora constantis animi vestigia et probitatis in Persio, in Iuvenale, inveniuntur; maxima autem in Tacito, qui eo se et alaci et erecto in imperatorum invidiam animo praeditum exhibet, ut meliore aevo dignus videatur.

A Traiani verum deinceps obitu ad senectutem extremam Romanae litterae decurrerunt. Non enim genera tantum

*senectus*

defloruerunt omnia, sed sermo Latinus ea barbarie infuscatus est, ut quasi diversus videretur. Fuerunt tamen hac quoque extremae senectutis aetate, tamquam in nocte tenebris offusa, lumina quaedam, in quibus litterarum Latinarum vires defecerunt. Re enim Romana ad fortunam extrémam iam collabente, Ausonius, Rutilius, Namatianus, Marcellinus cum iisque iurisconsulti nobilissimi extiterunt, in quos Romanorum gloria desiit et nomen. Paucis enim post eos annis, nimirum CCCCLXXVI p. Chr. n., Urbs in Odoaci imperium venit.

*senium*

## DE ROMANORUM REBUS PRIMA AETATE GESTIS

V. Circa antiquissimum tempus, quo ex commenticiis poetarum fabulis urbem Romam a geminis fratribus, Romulo et Remo, Martis Rheaque sacerdotis liberis, prope Tiberis ripas, aratro signatam esse colligimus, amplissimam et pulcherrimam Europae partem, Italiam, multae iam gentes et nationes occupaverant, quae etsi omnes, ut videtur, ex eadem hominum stirpe essent prognatae, valde tamen et lingua, et moribus, et institutis, vitaeque cultu et humanitate inter se differebant. In Romae finitimis tunc temporis Latinorum civitates, Volsci, Aequi, Etrusci opibus armisque prae ceteris valebant, quibuscum, statim ac Urbs paulo ante exaedificata coepit et vigere, de totius Latii imperio decertandum ab ipsis conditoribus fuit. Bellum ergo cum Albanis in primis memorabile gesserunt, sive propter singulare trium Horatiorum illud cum Curiatiis trigeminis certamen, sive quia populus Romanus urbem, a qua originem duxerat, quadrincentorum quasi annorum opus, solo adaequatam excidio ac ruinis dedit. Qua re bene acta, adeo Romanis animus crevit, ut cum ceteris Latinis primum, deinde etiam cum Volscis, cum Aquis, cum Hernicis, denique cum Etruscis, Marte secundo, arma consererent, quoad, prolatis ad usque Galliam

*vetusiores  
Italiae inco-  
lae**Romanorum  
bella cum La-  
tinis et ceteris  
gentibus*

Cispadanam finibus, fortuna ita eos dereliquit, ut Urbs ipsa armis capta incendio vastata sit. Quae cum statim in integrum esset restituta, cumque se ex pavore populus Romanus receperisset, bellum non in Gallos modo, sed et in gentes alias, quae metu defecerant, tanta vi armorum animique constantia redintegravit, ut ferocissimas illas omnes nationes in suam potestatem redegerit. In Samnites autem, post aliquot annos, qui Campaniae ex montibus suis minitari videbantur, triplex bellum ex ordine gessit, eosque cum devicisset, faciliorem sibi ad Maiorem Graeciam aditum patefecit. Occasionem itaque, ut primum potuit, populus Romanus nanctus, in Tarentinos arma intulit, qui omnium in Italia Graecarum urbium quasi duces erant, Pyrrhoque Epiri rege profligato, qui Tarentinis auxilio venerat, amplissimam urbem Tarentum, litteris et artibus insignem deliciisque in primis affluentem, facili occupatione tenuit ab eaque civitate Graecorum cultum et humanitatem primo didicit. Paucis inde annis cum Carthaginiensibus primum bellum bene confecit, Siciliaque insula occupata, gentibus omnibus ostendit nullam fere esse terram in orbe, ad quam, si vellet, non posset accedere.

VI. Fuerunt haec quoque primorum, cum in bene describenda, tum in civitate recte administranda, incrementorum pulcherrima tempora. Etenim, cum Urbis integritati atque fortunis haud satis consultum esse videretur, quod eam amplissimis moenibus, fossis, exercitibus communivissent, iis etiam legum et institutorum praesidiis pro necessitate rerum hominumque inclinatione, quingentorum annorum spatio corroboraverunt, ut aut melius, aut latius, aut maturius, res omnes et publicas et domesticas tueri non possent. Ut primum itaque Urbs condita est, multitudine civium in curias et tribus divisa, patres a regibus ipsis creati sunt, quorum consilio prudentiaque civitas regeretur. Regibus autem pulsis, quod superbe et crudeliter dominari cooperant, creatisque binis in singulos annos consulibus, qui rempublicam admi-

nistrarent, cum novae inter optimates et plebem, de iuribus aequae condendis dividendisque agris, dissensiones acerrimae ortae essent, tribunicia illa potestas creata est, cuius beneficio populus, et ad partem imperii sibi necessariam accessit, et iura sua paulisper et per gradus ad aequabilitatem est tamdem adeptus. Magno ad rempublicam in posterum firmandam momento fuerunt tabularum leges, quibus quam *leges et iura* maxime Romani e fera agrestique vita ad humanitatem, ad mansuetudinem, ad iustitiam promoti sunt. Ex Romanae sapientiae monumento, quod legibus XII tabularum continetur, patet manifesto quanta fuerit, in maioribus illis, et probitas, et fides, et animi gravitas, et constantia, quibus tanto Graecos ceterasque gentes praestiterunt, ut nulla alia natio sit cum iis comparanda. His tamen de causis factum est, ut, cum primo in condenda describendaque Urbe versati essent, deinceps autem in perennibus bellis conficiendis, in institutis publicis privatisque creandis firmandisque, in iuribus et legibus ferendis statuendisque moribus essent impense occupati, per totum temporis spatium, quod a primis Urbis incunabulis ad bellum Punicum pertinet, vel omne litterarum genus prorsus neglegerent et contemnerent, vel tantum in eo operae ponerent, quantum ab illis rebus reliquum esset. Extant tamen huius aetatis monumenta, in primisque sermo ipse, quem iuverit ante omnia indagare, ut in eo Romanorum imaginem quasi expressam videamus.

## DE LATINI SERMONIS ORIGINE ATQUE NATURA

VII. Cum igitur prima litterarum elementa in ipso sermone posita sint, quo homines, tamquam materia quadam communi, et ad colloquendum inter se, et ad scribendum utuntur, mibi litterarum Latinarum incrementa a primordiis prosecuturo, quaedam summatim de Latinae linguae origine

*Italici sermones ab Arianis*

praemittere peropportunum est visum. Fuit igitur olim sermo Latinus, quemadmodum ceteri, qui apud Umbros, Sabinos, Oscos, Etruscos, apud ceteros Italiae populos floruerunt, iuris plane sui, ex prima multarum gentium colluvione in Latio natus, populari convictu deinde communique rerum tractatione auctus. Hi autem sermones omnes, si Etruscum excipias, de cuius natura satis parum constat — ob diversam enim litterarum formam vix legi quidem potuit — communem habent ab Arianis originem. Cum his affinitate quadam et quasi arctissima sanguinis cognatione, etiam Graecorum linguae coniunctae sunt, quod ex recentioribus philologorum disciplinis, tot tantisque verborum similitudinibus et nexibus comprobatum est, ut sermones omnes Italorum et Graecorum uno generatim nomine «*Pelasgici*» appellati sint.

Post Urbem conditam igitur, prolatis ad extremas Italiae partes finibus, gentibusque subactis, Romanorum quoque lingua superior evasit sermonesque ceteri paulatim a Latina hausti absumptique evanuerunt. Attamen cum rudis initio, nec satis sibi constans lingua esset, eas in se verborum mutationes excepit, tot novis et a se alienis et incognitis et peregrinis vocabulis aucta est, ut, auctore Polybio, antiquissima monumenta, ne Scipionum quidem temporibus, certo sensu suo et naturali significatione ab hominibus etiam doctissimis perciperentur. Stabilitatem quandam et conformationem suam definitam tum habere lingua Latina coepit, cum populus Romanus a Graecis, quos armis ceperat, illecebris litterarum, artium, disciplinarum invicem captus, leges etiam orationis solutae est mutuatus. Deinceps cotidianus quoque sermo ab eruditis eximia verborum abundantia augeri, concinnitate, elegantia perpoliri atque exornari coepus est, quapropter a vulgo Scipiones, quod nimis exquisita diligentique cura peregrina in colloquendo verba adhiberent, ut putidi ridebantur; factum tamen inde est, ut ad Romanorum ingenium accommodata sermonis dignitas et quasi maiestas provenerit.

*sermonis pro-  
gressus*

*Polyb. III.  
Iatop. 22*

VIII. Sed novae et doctae sermonis elegantiae, cum essent e Graecorum fontibus ascitae, qui a multitudine ignorarentur, in doctissimorum hominum ore sese continuerunt, neque in civitatem universam profluxerunt. Hac autem de causa accidit ut duobus sermonibus, inter sese fere diversis, una in civitate cives uterentur; altero videlicet vulgari et communi popellus tunicatus, altero autem et urbaniore et elegantiore cives boni atque optimates. Discrimine itaque inter utrumque sermonem magis magisque in dies aucto, eo post aliquot annos ventum est, ut homines docti doce loquentes a vulgo non sine difficultate intelligerentur. Multitudo civium, cuius nihil litterarum intererat, veterem sermonem suum retinuit, quem postea una cum imperio in terrarum fere omnium orbem propagavit. Ex hoc autem sermone, pro varia gentis cuiusque in proferendis immutandisque verbis ratione, recentiorum populorum linguae prolapsae sunt, quae vulgo «neolatinæ» appellantur. Eruditi vero homines, poetae, oratores, rerum scriptores, qui cogitationes suas litteris mandare instituerunt, urbaniore illo sermone usi sunt, qui in eorum libris invenitur. Medium tamen, ut par est, inter litteratos et plebem fabularum scaenicarum conditores viam et rationem ita tenuerunt, ut utrorumque ingenii eruditorum et illitteratorum hominum in theatris populariter indulgerent.

*Sermones duo  
alter vulgaris  
urbanus alter*

## DE ANTIQUISSIMIS EPICORUM CARMINUM VESTIGIIS

IX. Nativum quoddam insitumque in Romanorum animis, quantum ex rerum monumentis hodie suspicari licet, epicorum carminum genus antiquissimis Urbis temporibus floruisse censemus. Quamvis enim nullae hodie sint eorum reliquiae et Ciceronis aetate, iam vetustate deperditae, desiderarentur, ad genus hoc profecto referebantur carmina illa, quae, Cicerone auctore, convivae ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus in epulis canere solebant. Quid enim

*Carmina con-  
vivialia*

Cic. I. Tusc. 2

in hominibus illis antiquis, qui uni armorum laudi studebant, aliud esse poterat carmina de laudibus canere, quam, quae res gestae ab epicis poetis celebrantur, eas item de fortissimis viris Romanis deque bellorum ducibus mirifice ementiri? Poterantne, populo Romano audiente, aliud, etiam si voluissent, praeter arma, versibus praedicare? Ceterum nihil, apud Urbis conditores, a Marte prognatos, qui bello tantum, caedibus, armis delectabantur, aut honestius, aut laudabilius, aut praestantius esse poterat, quam hostium interneciones et pugnae, quae in carminibus epicis in primis laudantur. Haec autem carmina, cum in conviviis vel voce tantum, vel a convivis ipsis et a pueris quibusdam ad tibiam modulate recitarentur, «*convivialia*» dici solebant. Ad genus idem spectabant etiam carmina, quae a militibus, in triumphis agendis, concinebantur. Bellis enim bene confectis, imperatores, qui hostes devicerant, magno et militum et civium concursu, ad persolvendas grates in deorum templa triumphantes adducebantur. Milites autem, qui domum revertabantur, per Urbem imperatorum laudes, vel etiam ignominiyas, obscena quadam licentia et verborum dicacitate clamabant, ut crebro cantilenam illam «*Io triumphhe, io*» victoria exultantes iterarent.

Liv. III. ab.  
Urb. cond. 29;  
IV., 20 et 53;  
passim alibi

Funebria car-  
mina seu  
*neniae*

Cic. II. de  
Leg. 24

X. Atque etiam laudationes funebres numeris verborum quibusdam adstrictae, quibus «*neniae*» nomen, ad carminum epicorum genus accedebant. In funeribus enim clarorum virorum, circa corpora cremanda, in parentalibus, in siliceniiis, mortuorum laudes cantu ad tibicinem puellae quaedam maxima religione prosequebantur. Id autem vox ipsa *nenia* indicare videtur, siquidem a Graeca voce cadit, quae flebilem cantum significat. Post multos annos tamen, cum mulierculae quaedam pretio conductae, multis feminarum querellis et lacrimis in mortuorum elogiis recitandis adhiberentur, eodem vocabulo ineptum quodlibet et inconditum et translaticium carmen indicatum est. Ex carminibus his sive convivialibus,

sive etiam triumphalibus et funebris, tamquam ex semi-nibus in inculto solo conditis, verisimile est fabulas illas provenisse, quae in Ennii Naeviisque carminibus continebantur, aliasque praeterea nonnullas, quae in vetustissimis rerum monumentis vel adumbratae, vel memoratae inveniuntur. Testem Livium ipsum exhibeo, qui, etsi in suis libris tam multa enarret, quae aut penitus incredibilia sint, aut a certa fide haud multum abhorrentia, negat tamen se omnia referre, quae de Latinorum origine deque Urbis incunabulis tradebantur. «*Quae ante conditam condendamve urbem*» ait «*poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec adfirmare nec refellere in animo est. Datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciat*». Poetarum itaque more facta videntur, quae de Iano, de Saturno, de Evandro narrabantur, tum multa alia, quae de Romulo, quae de Mettii Fufetii morte, quae de Tarquinii, de Lucretia, de Bruto Collatinoque, quae de Horatio Coelite, de Scaevola, de virgine Cloelia, de Coriolano Camilloque, de multis viris in Livio maximis laudibus celebrata leguntur.

Liv. prooem.

## DE EXORDIIS CARMINUM LYRICORUM

XI. Ad patrium cultum deorum, qui antiquitus colebantur, carminum lyricorum exordia pertinebant. Etenim cum Numa rex, Aegeriae Nymphae hortatu, dies quosdam festos in singulos annos in Martis honorem celebrandos constituisset, carmina quaedam composita sunt, quae Salii sacerdotes, per Urbem catervatim discurrentes, concinerent. In sacris igitur, quae mense Martio agebantur, Salii duodecim, ex ordine patricio delecti, tunicis pictis induiti ornati que praetextis, aenea ancilia in sinistra ferentes, Martem armorum praesidem, ut propitius Urbi adesset, inclinata voce ululantique invocabant cum tripudiis solemniisque saltu

Saliaria carmina

*Axamenta* Mamurium eum appellantes. Invocationes itaque deorum immortalium in primis Romanorum carminibus recensendae sunt, quarum aliae «*axamenta*» seu «*indigitamenta Ianualia*» aliae autem «*Iunonia*» aliae «*Minervia*» aliae denique alio nomine e deorum nominibus nuncupabantur. Ut autem Salii Martem publice precabantur, quod Romulum et Remum, auctores Urbis, ex Ilia genuisset, ita Fratres Arvales Cererem, frugum inventricem, colebant, quae agrorum colendorum artem et boum domendorum rationem primo homines docuissest. In eius autem sacris celebrandis in lucum deae Diae ad V ab Urbe lapidem prima luce conveniebant ibique, victimis immolatis, carmen illud precationis inter alia concinebant, quod lapidibus inscriptum maiorum nostrorum industria repertum est :

*Enos, Lases, iuvate.*  
*Neve lue rue, Marmor, sins incurrere in pleores.*  
*Satur fu, fere Mars, limen sali, sta berber.*  
*Semunis alternei advocapit conctos.*  
*Enos, Marmor, iuvato.*  
*Triumpe, triumpe, triumpe, triumpe, triumpe.*

*Plin. XVIII.*  
*Nat. Hist. 2.2.*

Duodecim sacerdotibus hoc collegium constabat, qui spicem coronam, vitta alba alligatam, pro insigni gestabant; in praecipuis enim muneribus Fratrum Arvalium erat, ut de bonis frugibus spicisque metendis, ineunte vere, suppliciter Cererem rogarent.

XII. Ad idem genus spectabant quoque ceterorum deorum rogationes. In his adnumeranda sunt virginum Vestalium indigitamenta, quae ad ornatas Apollinis aras concinebantur, quotiescumque Pontifices Maximi rerum futurarum responsa ab eo sciscitaturi erant; tum etiam sacerdotum et plebis cantilenae quibus, in auspiciis sumendis, Lemures, hoc est mortuorum umbrae, placabantur; tum denique cantica, quae

a militibus pugnas inituris, ut sibi Iovem Statorem conciliarent, sive inter procurrendum, magnis clamoribus ululabantur. Haec quidem carmina, aliaque huiusmodi multa, quorum passim apud rerum scriptores et poetas mentio est, re adhuc Romana integra stante, vetustate ipsa evanuerunt. Vestigia tamen haud pauca in Romanorum litteris apud Virgilium, Horatium, Ovidium, apud alios et multos poetas inveniuntur, quibus carmina sua ita ad maiorum rationem conformare placuit, ut antiquitas in iis redoleat et quasi spiret.

*Alia carmina  
precationis*

#### DE SATIRARUM ET FABULARUM SCAENICARUM ELEMENTIS

XIII. Eodem tempore, vel ab ipsis fere Urbis incunabulis, aliud carminum genus ab his, quae modo memoravi, prorsus diversum effloruit. Solebant enim maledici cives quidam, vel per concubiam noctem, vel diluculo primo, ad fores clarissimorum hominum accedere, ibique vel petulantius ad convicium, vel facetius ad urbanitatis modum, vociferationes cantiunculasque nugatorias edere, quibus illorum vitia et mores dicacissime carperent. Cuius consuetudinis cum bonos cives pertaedere coepisset, lex in nocturnos convictores et obtrectatores condita est, quam ex XII tabulis Cicero apud Augustinum memorat. « *Nostrae XII Tabulae* » inquit « *cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt si quis occentavisset, sive Carmen condisset, quod infamiam afferret, flagitiumve alteri* ». Nimirum ita molesti et graves cantilenis illis et maledicis carminibus civitati universae occentatores facti sunt, ut decemviri, in irrogandis legibus, capitis poena eos multatos voluerint.

*Occentatores  
urbani*

*Aug. II. de  
Civ. Dei 5.*

Ad obtrectationes huiusmodi, quae urbanae appellabantur, quia in usu apud cives Urbis erant, rudiores aliae accepdebant in municipiis apud rusticanos homines natae. Etenim agrestes etiam coloni et agricolae, in celebrandis vindemia-

*Occentationes  
rusticae et  
Fescennini  
versus*

libus feriis, in quibus Bacchum rite laudationibus prosequerantur, vultum instar personae, cavatis quibusdam arborum corticibus ornati, vel minio picti, alteri alteros ad laxandos animos petulantius ridere consueverant. Genus hoc rusticani convicia, quod speciem carminis scaenici ex alternis sermonibus induebat, Fescenniae, in Etruriae municipio, validis fumosisque vinis abundantissimo, suam habuit originem, qua re antiquitus iam carmen Fescenninum appellatum est.

XIV. Fescennini versus Romanis quoque, qui iam diu noverant, multum placuerunt, quo factum est, ut, cum occentationes ad fores civium prohibitae essent, in earum locum succederent. Noverant autem Romani incompositum hoc carminis genus anno Urbis trecentesimo nonagesimo, cum, Sulpicio Petico Licinio Stolone coss., ab histrionibus quibusdam, ab Etruria arcessitis, ludi scaenici primo Romae acti sunt, quasi caelestis irae placamina, quibus civitas a gravissima pestilentia liberaretur. Post id tempus igitur, cum in Romanorum consuetudinem venissent frequentius, quod animos risum movendo relaxarent, cumque non in festis tantum diebus agendis, sed in nuptiis quoque aliisque solemnibus et publicis et privatis adhiberi coepti essent, ad Romanorum ingenium ita sensim sine sensu se accommodaverunt, ut novum quoddam fabulae salticae genus ex ipsis natum videretur. Quod quidem genus cum diutius apud plebem floruisseisset, cumque iam ex usu artem et rationem quandam definitam et urbaniorem assumpturum esset, eae et morum et litterarum condiciones partae sunt, quibus penitus silentio damnatum ad usque fere Caesaris saeculum conticuerit, posteaque, embolii tantum instar inter scaenas agendas, aut tamquam exodium ad exhilarandos animos vehementi dolore aliquo affectuque turbatos post fabulas tragicas, prodiret.

XV. Ad eadem fabularum scaenicarum initia, quae nunc pervestigamus « *mimi* » etiam et « *pantomimi* » referendi sunt,

*Liv. VII. ab  
Urb. con. 2;  
Val. Max. II  
Fact. Mem. 4.*